


ompti ut nihil su-
[pra ...
appellant Barba-
[ros,
ores et alacres,
amicis manus.
um! quaeque per-
[nices!
mae mox divitiae,
matronarum pur-
[pura,
Romani conferunt!
ntis armorum stre-
[pitus?
et exultantium?
ia vulneribus!
uit? Quid salus sug-
[gerit?
tumultum Pontifex
eriret gladio?
cidisse an crimine?
pe sic extinguere
coronavit gratiis,
plexus Africos ...
s morbus conscienc-
[tiae;
micus maximus!
eatur ilico;
na cum Pontifice,
perditores Africae!

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

...

Sedes filiae apud exteras gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Costantinopoli.

In Asia minore. - Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus et Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio. 96.

**DE LATINAEC LINGUAEC STUDIO
APUD SEMINARIA**

Argumentum tanti est, quod mereatur profecto ut in eo insistamus. Supervacaneum vero foret post ea quae, a Summis Pontificibus Pio X ac nuper Pio XI edita, in superiore huius commentarii retulimus, in re generali urgere: mentem potius nostram aperiemus de rationibus, quibus, nostro quidem iudicio, latinae linguae studium perfici debeat. Audivimus enim, et hisce ipsis diebus, nonnullos quasi offensos et fastidientes obiicere latinitatis neglectum exaggeratum a nobis fuisse: apud seminaria et ecclesiastica collegia studium de quo agimus satis vigere, imo ipsi maximam institutionis partem primis annorum curriculis ita concedi, ut nedum intelligent, tyroneos latine passim loquantur.

Quaeso, quod latinum? An incomptum illum sermonem, qui in philosophicis ac theologicis doctrinis tradendis invaluit? De quo iam aliquot ante annos in hisce paginis scripsit¹ clarissimus ille vir, cui adhuc est munus Ecclesiae alumnos in Pontificio Seminario Maiore ad cognitio-

nem usumque latinae orationis excolendi, verbis insistens praedecessorum suorum Petri Angelini ac Vincentii Tarozzi. Hic praesertim, quum latinitatis studia doctrinam omnem attingere debere demonstrasset atque inde se scire velle quaesiisse, quid causae esset cur oblivione et caeno obruerentur: « Sin autem - scribebat - haec ipsa bona ac talia plura ab impolitis hominibus nihili habeantur, et aliqua danda sit venia, ut iam nunc litterarum latinarum cultio et disciplina eruditione contineatur, nihil scriptio, per me detur ea quidem licet, sed iis cupientibus detur, qui extra ordinem sint clericorum: clericos enim, opibus eruditionis haudquam neglectis, debere omnes stilum, pro tempore et re, *emendate tractare*: hoc ego pugnacissime tueor, atque *ita persuasum habeo causam ipsam Ecclesiam tueri* ».¹ Quibus noster addebat: « In quo me confirmat magna rei praestantia, quam pluribus commemorare minus attinet, moventque crebriora in dies exempla iuventutis ad orationem latinam prope inexercitatae et imperitiae, ita ut Leonis Pontificis pervagatam querelam, laudem illam latine

¹ Cfr. fasc. mens. Maii MCMXVIII.

¹ V. TAROZZIUS, *De litteris latinis.* Bononiae,
MDCCCLXXXVII.

cum dignitate et venustate scribendi passim consenuisse videri, eventus confirmaverit. Hac nostra aetate, tantum proh! degeneravimus a patribus nostris, ut nimium de iis adolescentibus conquerendum sit, qui saepenumero ad sacram disciplinam tamquam ad sacram silvam, seu verius dicam ad saltum recurrentes, nullis exculti litteris nullaque doctrina, non intelligere magis aut cogitare posse videntur, quam vegetare. At philosophiae nec non theologiae fato optime fore consultum putant, si eae latine tradantur. Cur ergo non etiam latine mathesis, cur non physice, cur non historia naturalis? Ac saepenumero videre est quasi circulum vitiosum, quod hinc a doctoribus philosophis adfimet, auditores suos minus expedite disserere quod falso latinitatis magisterio usi fuerint; hinc a magistris latinitatis comploretur philosophiae causa barbara lingua traditae, labores suos industriamque irritam reddi».

Itaque is concludebat: «Praesens studiorum ratio atque conditio haec esse debet, ut cultus omnis humanitatis poscatur, ut interiores et reconditae litterae artesque colantur; qua de re non tantum ad latine scribendum formari debent adolescentes, sed ad intelligendum quoque et iudicandum. Quare illud in clericis erudiendis proponi debet, ut probatissimos scriptores probe calleant alumni eorumque artificio mirabili teneantur, quid ipsi voluerint, quid senserint, quam a nobis seiuncti, quam nostri dissimiles mente res percepirent ac verbis expresserint assida commentatione assequantur. Iam vero ab his studiis distat toto caelo latinitatis illud genus, quo in philosophicis ac theologicis scholis doctores et alumni utuntur. Quin etiam hac nostra tam culta aetate illud quoque indignum vidimus: philosophiae ac theologiae tractatus vernacula oratione conscriptos, ut tyrones iam nunc latini sermonis paene ignari, philosophicis ac theo-

logicis sententiis facilius imbuerentur. Haec tandem ultima ratio, si latini sermonis nostri adolescentes adeo sunt hostes! ».

Ita ille; addam ego moerentem me vidisse in librariis officinis ipsas Aquinatis *Summas* detrectari originali suo latino textu, ac earum repeti vernacula versio nem? Quum autem impossibile fiat, praesertim de iis, quae ad divinae et humanae sapientiae studium spectant, in versionibus sensum et verborum vim reddere, quibus solemn quodam ritu sunt expressa, quid mirum si non modo aliorum fallacias detegere et redarguere non possit, sed novas facile vel bona fide, per se ipsum, quisque inducat?

**

Quibus igitur rationibus utendum erit, ut studium latinae linguae suum finem in seminariis assequatur? Dicam quod sentio, eroque devotus ei, qui meliora proponat.

Pono in primis huiusmodi studium ultra philosophicum curriculum tamquam propriam disciplinam, seu, ut vulgo audit, praeceptionis materiam proferri debere, quae in singulos annos ad magistri libitum, vel potius iuxta necessitatem distribuatur; ita tamen ut partes omnes ex integro absolvantur. Quarum partium prima de lexicographia et grammatica sit; illa enim tum vocabulorum messem comparari dabitur ad expeditam orationem creandam, tum vocum proprietates distinguuntur, ita ut idiotismi effugiantur et inde nata elegantia inducatur. Grammaticae autem studium sic velim compositum, ut comparatio instituatur inter suam cuiusque linguam et latinam, a casibus ad propositiones indeque ad periodum. Aequalitatibus, similitudinibus neque non discrepantiis firmatis, planum satis credo pronumque concinnae structurae fore accessum, puramque orationem.

Haec autem omnia in usum denique erunt transferenda tum auctorum interpretatione, tum versionibus a vernacula lingua in latinam, tum denique latinam linguam usurpando in familiaribus colloquiis et scriptiibus.

De singulis, ut in aperto magis res sit, peculiariter nonnulla adiiciam.

Primum enim de auctorum interpretatione quaeri poterit quinam auctores praesertim sint et quo gradu. Profecto aureae aetatis auctores diligendi erunt; verum id non absolute affirmo: quis enim sibi velit, imo illudat, totidem Cicerones creare? Quin etiam Cicero, si nunc viveret, stylum et ipsum sermonem facile immutaret. Se ligamus itaque et interpretemur praesertim, quum quod signavimus iter late sit quisque demensus, magnos illos scriptores, qui sua cuiusque virtute nomen immortalitati commendarunt, in iisque illos Ecclesiae Patres, et recentiores quoque scriptores, qui vi et exuberantia sua latinis clarissimis auctoribus nihil cedunt; neque timeo inde damna, si cordate certaque adhibita ratione selecti auctores illuminentur.

Obiicitur hic res, quae maximi momenti nobis videtur. Ut enim antiquitus mos invaluerat troporum omnis generis crucem dissentibus figendi, nunc plerumque ad instar secandi cadaveris sic periodi tractantur, ut in iis quasi carnes, ossa, nervi, muscula separantur, et in prolixas fastidiosaque disceptationes ad cellulas usque, prope dicam, singula revocentur, quas nec capere nec coquere, multo minus recondere, retinere opportuneque accommodare discipuli unquam valebunt.

Immensa inde temporis iactura nullusque profectus circa ea saltem, quae ad exitum a nobis optatum conducant. Enondate igitur auctorem magister exponat, in facilioribus ne immoretur, ne peregrina admisceat, difficiliores voces ac phrases circa originem, significationem usumque

paucis et nervose explicet, insigniores prioresque loquendi formulas notet, uno atque altero exemplo illustret alumnosque demum invitet, ut ad auctoris ductum ipsi al exempla proponant.

Hinc latine loquendi et scribendi initium; hinc aditus ad maiora in dies. Quae quidem variis rationibus apparari posse credimus. Scilicet poterit magister vel locum tyronibus legere, quem illi extemplo latine pariter referant, vel argumenta ponere, quae de auctore antea exposito sint, vel eorum proxima; eaque sic adornata, ut succus et elegantia auctoris in huiusmodi compositione exercitiorum monstrari et observari liceat. Praeterea aliquius libri aut capituli, vernacula primum lingua, ac latina deinde, a discipulis lecti, compendium latine exarandum iisdem poterit committere, et similia.

Aliud exercitationis genus utile puto, quod dirigatur ad classes rerum suoque circumplexu contineat perspicuas magis phrases ac voces istuc pertinentes.

Sunt etiam qui proponant lexici epitomen, hac nempe ratione, ut insigniores voces ac phrases ingeniose colligantur in formam alicuius narrationis et epistolae; qua ratione affirmant, vel per triginta circiter exercitia, fere nervum et stamen linguae colligi licere, et satis apte disponi.

Ceterum magister peritus usque expertus huiuscemodi industrias innumeritas inveniet: nobis satis sit eas summis labiis delibasse.

**

Sed dicet fortasse quispiam: Quomodo hanc viam sequamur, a qua praedicasti nos tantum distare? Quis erit ductor?

Actum profecto de latinitate est, si ita ea sese haberet, ut in maioribus saltem seminariis non inveniatur qui hanc provinciam curandam et administrandam sibi sumat. Huiusmodi homines non solum esse credo, verum etiam tanto praeditos ingenio tan-

taque bona voluntate, ut arcem validis munitionibus cingere atque firmare valeant. Hi discipulos sibi comparent, qui ipsorum doctrina et docendi ratione imbuti, per minora seminaria deinde effundantur, praesentemque medicinam complorato morbo afferant.

Centrum vero et latinae sapientiae maximum hospitium velim Romae, in almae nostrae huius matris ulnis constitutum; hic enim ex universo terrarum orbe afflunt delecti adulescentes, qui praeter alias in spem Ecclesiae crescent, Christianam doctrinam et humanitatem in suas regiones deinde relaturi. Romae, dico, exsurget magnum latinitatis athenaeum, quod hos iuvenes colligat, erudiat, atque deinde, latinitatis disciplina et amore imbutos, ad extremas usque oras restituat, quo eamdem scientiam et amorem sint importanti. Ita non seges tantum, sed fructus brevi comparabuntur.

Quod quidem incoepit, non nomine tantum, sed re Piissimo itemque doctissimo viro, qui amplissime nunc summum Pontificatum gerit, commendo; idque ut quam citissime perficiat etiam atque etiam rogo.

I. F.



AESTHETICAE NOTAE

De pulchri varietate, vulgo "gradationibus",

Pulchri varietas, quam « gradationes », vulgo dicimus, pro quavis magnitudine et manifestatione nimis praecise statui nequit; non una est enim auctorum sententia, nec unus in hac re verborum usus. Pulchrum hic assumimus veluti lapidem lydium, ad quem ceterae pulchri species

seu amplitudines comparantur; namque pulchrum in debita et media magnitudine denotat aliquid. Verum tamquam praecepit gradus pulchritudinis haberi solent: a) *venusta*, b) *grandis*, c) *sublimis*.

Pulchrum parvae, ut ita dicamus, amplitudinis, atque placidam ciens admirationem appellamus venustum, gratiosum, formosum, amoenum, dulce, lepidum... Ex. gr. flos virens, avis canora, timida columba, ocellus radians, ludus festivus, dictatorum quaedam argutiae, anacreonticae odiae, musivum opus, picta tabella, et sim.

Pulchrum vero fortiter animum movens dicitur grande, magnificum, amplum, maiestate praeditum, splendidum, nobile, altum, sollempne... Ex. gr. Alpes nivales, solis ortus et occasus, romanum Titi trophaeum, Catonis austera virtus, senis dignitas...

Pulchrum denique quod magnitudine sua facultatem intuentem excedit ac velut opprimit, vocatur sublime, itemque mirificum, prodigiosum, interminum, etc. Ita de caelo astris distincto et ornato, de mari placido vel concito, de vulcano erumpente, de romano « Colisaeo », de Aegypti pyramidibus...

Atqui pulchri sublimitas peculiarem meretur considerationem. Animus enim noster cuiusdam infinitatis est particeps, qua natura sua nititur sese in altum attollere et regionem illam descendere, ubi citra res finitas perfectam veracemque infinitatem adesse intelligit. Quotiescumque indefinitam magnitudinem in obiectis contemplatur, arcanis repletur gaudiis, tamquam de rebus cum indefinita natura sua consentaneis et accommodatis, simulque extra se desiderio rapitur infinitum ipsum consciendi. Itaque in sublimis rei contemplatione hoc evenit; scilicet ex parte qua magnitudo percipitur, mens voluptatem capit suavissimam; ex parte autem qua magnitudo captum exsuperat, animus timore ac desiderio percellitur

Effectus igitur sublimitatis huius magna est voluptas et stupor ingens.

Verum « sublime absolutum » Deus unus est, qui attributis et perfectionibus suis altissimum quemvis intellectum et magnum animum exsuperat ac timore percellit. Ipse principium sine causa, diuturnitas sine successione, existentia sine finibus, necessitas liberrima movens se et omnia sine transitu et mutatione, cuncta replens tempora et loca, sed non circumscriptus et extra mundum. Ipse alpha et omega, notissimus et tamen incomprehensibilis, est ipsa sublimitas et fons totius sublimitatis.

Praeter Deum « sublime relativum » habemus, idque dicitur « physicum » si magnitudine vel vi corporea commendatur, ut ex. gr., colossus Rhodius, Vaticanum templum, fluminis lapsus per montem diffissum; dicitur « intellectuale » si praepotenti ingenii vi commendatur; ut opus *De Civitate Dei* S. Augustini, *Summa Aquinatis*, *Divina Comoedia* Alligherii, *Iudicium universale* Bonarroti; dicitur « morale » si magnitudine animi commendatur, ut vir fortis Horatii, quem

*Iustum et tenacem propositi virum,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.*

Ita illud Caesaris nautae exterrefactum: « Quod times? Caesarem vehis ». Sublimes pariter sunt, qui divinam prope virtutem et constantiam palam exhibuerunt, Scaevola, Horatius Cocles, Decii, et praesertim Christiani martyres.

Kantius in « Critica Iudicii » Sublime dividit in « mathematicum » et « dynamicum ». Primum proferri ait ex intuitionibus temporis et spatii, quae sint « formae » subiectivae sensus; alterum ex conceptu vis seu potentiae sive physicae, sive intellectualis, sive moralis, quippe conceptus sit « forma » intellectus. Haec distinctio, quod ad nomen attinet, apud graves au-

tores tantum invaluit. Giobertus autem subdistinctionem addidit, sublime dynamicum partitus in « positivum » et « negativum ». Quorum primum manifestare docet vim infinitam tamquam causam boni, ordinis et harmoniae; alterum vim tamquam causam mali, perturbationis et confusonis: ad sublime negativum referri usum aestheticum « deformis » et « horridi »; sed quacumque imaginem sublimitatis non enasci ex elemento negativo, sed ex elemento positivo; id est ex virtute vastatrice.¹

**

Sed est quoque pulchrum specie tenus « sublimi » oppositum, quod risum movet, et « ridiculum » appellatur. Ex inopina et aperta discrepantia oritur inter exspectationem et rei eventum; seu ex discrepantia inter ea quae cogitatione nobis effingimus et quae improviso eveniunt. Discrepantia haec est quasi discussus de via sive de usitato modo sive ratiocinandi, sive loquendi, sive agendi. Huc spectat Horatii illud:

Parturient montes, nascentur ridiculus mus.

**


Pulchro « deforme » opponitur, ideoque et de eo, contrariorum causa, ratiocinari oportet. Deforme per se, ex omni parte absolutum non datur: parique odium et contemplantis aversionem. Pro diversis gradibus et speciebus erit « vile, molle, abiectum, vulgare, ignobile... » et vocatur « teturum » vel « squalidum » coloribus; « foedium » sorditudine; « turpe » inhonestate; « horrendum, horridum, horribile » in rebus profanis; « execrandum » in rebus sacris.

Sed proprius, quod « sublimi » opponitur, « horridum » denominatur, horridum nempe monstrosa quadam amplitudine

¹ GIOBERTI, *Del bello*, c. IV.

negativa, id est ingenti privatione vel integratatis, vel proportionis, vel perspicuitatis, nobis offertur. Ipsa tamen privatio ingens una cum terrore quamdam mentis admirationem animique voluptatem, semper ex « elemento positivo » ortam, haud raro excitare solet, ita ut facile intelligatur quomodo absque ulla repugnantia merito dictitare soliti simus « Pulchrum-horridum, et etiam « Sublime-horridum ».

G. LEPORE.



De “Aegyra „ seu fuga Mahumeti

Inter nequissimos homines, qui falso olim populos vexarunt eosque ingentibus cladibus cruciarunt, Mahumetum ponere haud dubitaverim. Et quoniam, tristi mortalium fato, memoria eius adhuc in terris viget, quodque amarius, in aeternum durabit, primum hominis facinus, memoratu dignissimum, in mentem revocare aequum esse admodum reputo.

Abhinc enim mille tercentos et quadraginta annos, relicta patria, Medinam ille petiit. Ab hac igitur fuga omnis eius celebritas nasci coepit. Quis vero nostrum, proh nefas!, ignorare possit quot ingloria ipse gessit? Pueri enim in scholis novisse iubebamus, vel nostris posthabitis rebus, magno equidam ludibrio, Mahumetum gladio potissimum religionem suis gentibus imposuisse, se se divinitus missum dixisse, et suis suadendo, in Arabiā late inter horrentes armorum strepitū esse dominatum.

Re enim vera prophetam, legislatorem eum esse dictitant, quum e contrario et vafer, levis, moribusque corruptus, et imprimis deceptor fuerit.

Centum circiter annis, antequam Arabiā, quae Yemen dicitur et Felix, Mahu-

meti novitatem acciperet, Christianam doctrinam cives amplexati, idolorum sectam everterant aliasque pravas opiniones, eo que studio religionis et caritate exsisterant, ut multi sanguine et morte fidem adseruerint. At brevi post tempore, foedissimis moribus infecti, in veterem impietatem prolapsi, Mahumeti pravitati alacres adhaererunt.

At quanam de causa Medinam is au fugit?

Mahumetus, humili loco natus Meccae, patrem habuit christianum et matrem hebraeam. Quinquennis, patre orbatus, apud patris fratrem crevit, atque in equis ducentis modo in Syriam, modo in Persidem, adolescentiam transegit. Quadraginta annos natus, uxorem duxit perdivitem viduam, quae Damasci mercaturam agebat. Ibi astutissimus vir, occasionem natus. Arabes, qui aegre iugum suorum ferebant, subdole ad se adlectis, suasit se divinitus in terram venisse ut res novas praedicaret. Arabes, potenti eius verborum lenocinio abrepti atque simulatione, ei facile fidem suam dederunt, eumque liberrimo ore atque iactantia prophetam professi sunt.

Quo facilius populum ad suam doctrinam traheret, quoniam comitali morbo laborabat, se se adserebat cum Arcangelo Gabriele alloqui, a quo divina admodum placita acciperet. « Scinditur incertum studia in contraria vulgus » et magna civium seditione exorta, ne morte plecteretur, relicta Mecca, Medinam se festinanter consultit.

Ab hac memorabili fuga aevum mahumetanum sacrum incipit, quae Aegyra eorum sermone dicitur.

Ab urbe Medina, quae deinceps prophetae Urbs est appellata, magnum exoritur Mahumeti incrementum, eo quod cives nimio sunt studio eius placita securti, et audacieores in exsequendis evaserunt, quo facto Aegyra Mahumeti triumphum, suo-

rumque discipulorum testimonium primum adseruit.

Tunc et Mecca, quae sancta ab Arabis habebatur, arbitrio eius omnino se se commisit. Ibi, tractis ceterorum numinum statuis, ut propheta imperavit, Hislamitarum religio, quae idem sonat ac *tranquillitas in Deo*, salutatur, atque in omnem late peninsula diffunditur.

Medina caput imperii statuit. Quae Arabum percussio ab imperio Orientis omnes abripuit Asiae provincias, atque adeo, dum Nomen Christianum in occiduum partem maxime profertur, Graecorum imperium lente, sed fato suo, ad finem ruit.

Verum Mahumetus dum duriter Medinae imperitat, veneno forsitan interceptus, postridie nonas Iunias anno sexcentesimo secundo et trigesimo vitam finivit. Medinae honeste conditus fuit, uti vulgo creditur, in sacello omnibus impervio ingentibusque ferreis septis circumdato. Ad tumulum tercentae assidue lampades coruscant.

Quid dicendum de eius religione? Est quaedam monstrosa christianorum placiatorum commixtio cum quibusdam hebreorum aliarumque gentium sententiis.

Inter eorum officia passim ieunia adnumerantur, preces quotidiana, elemosynae, et, prae ceteris, peregrinatio ad urbem Meccam. At quum res gravis improvisa surgit, « bellum sacrum » indicitur, quod omnium teterimum omnes ad arma devotos compellit, et citram opinionem ad internicionem durat.

Sunt tredecim et amplius saecula quum Arabes nullo consilio in Mahumeti fide mirum in modum manent, seu, quod potius est dicendum, in tenebris versantur. Saepius in anno Prophetam laudibus honorant. Eius nomine, et sub eius signis, primum Arabes, postea Turcae, eorumque imperii haeredes, labentibus annis in Oriente atque Occidente desolationem in


urbibus atque hominum exitia longe lateque effuderunt. Anno autem christiano millesimo quadringentesimo tertio et quinquagesimo, Turcae divina veluti vindicta acti, signum Mahumeti Byzantio in Sanctae Sophiae vertice statuerunt; atque ita imperio Orientis finem imposuerunt.

Tempus interea procul dubio felix adveniet, quod omnes divina quodammodo mente praesagiant, nec iam Byzantii Mahumeti pravitas ad Sanctae Sophiae dominabitur: sed antiqua Constantinopolis eademque christiana religio, quae tamquam sol ex arce vaticana refulget, lumen suum in omnes Turcarum regiones effundet. Tunc erit pax Christi, pax saeculi, et iterum Roma veluti e suis exorta ruinis, gentibusque mirabilis, illud Horatii memorabit:

*Possis nihil urbe Roma
Visere maius!*

Quod quidem felix fortunatumque fiat!

SENIOR.



EX POLONIA

I.

Aestivis feriis labentibus, animi causa, cupiens me aliquantis per a rerum curis levare, consilium fuit Europae nonnullas urbes invisere, et usque ad orientalem Poloniae plagam redire, quam aliquot iam annos visitaveram. Quae gentium rerumque varietas, et ingens brevi post tempore omnium differentia! Est hactenus lamentabilis proximi belli desolatio!...

Verum cetera studiose omittens, nonnulla modo quasi delibare cupio, quae ad nobilem Polonorū regionem pertinent, et lectorum nostrorum commodo esse possunt.

Tres usque ad ultima tempora erant principes Polonorū urbes, et, cura sui

cuiusque imperatoris, omnibus deliciis abundans unaquaeque, vel sub herili dominatione, civibus affluebat et opibus fortunaque vigere videbatur.

Nunc Varsaviae moror, quae prior inter sorores facile dicitur. Haec urbs bellorum damnis iniuriisque instaurata, se se in elegantiores formam composita, fractaque pomaerii veteris spatio, insigniter aucta, mirum in modum civibus crevit et commerciis. Ipsa iam nova pulchritudine adfulgens, in futurum secure respiciens, omnia sibi fausta in aevum praesagit.

Mira civium urbanitas atque honestas erga hospites, et mihi, qui civis romanus sum, plurimis verbis gratulantur, et de Pontifice Maximo, Pio XI, multa dicunt Romanamque maiestatem eius ac sapientiam praedicant.

Optime enim nosti, candide lector, Pium XI Pontificem Maximum haud ita multo ante Varsaviae fuisse, cuius memoria usque recens per ora hominum animosque vivit, in aeternum victura.

Quum primum Polonia se armis in libertatem vindicavit, et in unum corpus redacta iisdem legibus coaluit, antiquae religionis amore compulsa, ad Pontificem Maximum se convertit, ut eius consilio atque auctoritate religio et respublica coniunctissime componerentur. A Benedicto XV, qui difficillimis illis temporibus res christianas aequo moderabatur imperio et mirum in modum aeternae hominum beatitati studebat ac divina veluti mente inflatus omnia gerebat, Legatus, praeter omnium exspectationem, missus est Achilles Ratti, domo Desio apud Mediolanum.

Et fortissimus vir, maxima rerum et hominum prudentia subito in exemplum eluxit. Vix, omnibus hostibus expulsis, omnis Polonia libera animos suscepit, Romanus Legatus Varsaviam petiit, Polonis principibus illis coactis operam suam rite praestiturus. Hic non otium pro virtute secutus, sed ad omnia agenda para-

tus, religionem strenue propugnavit, rationes Polonorum sollerter curavit. Verum quadam die, trepidis adhuc rebus et ingravescente novo per hostes Russos periculo, adstitit Legatus et virtute Polonorum animos firmavit, et constantibus exemplis auctor fuit ut pro viribus fortiter et strenue obsisterent. Et fractis brevi, Polonorum opera, Russorum opibus, res omnis Poloniae salva fuit. Omnes tunc egregiam Legati fidem ac fortitudinem laudibus ad caelum ferre, nomenque eius inter fortissimos patriae adsertores collocare haud dubitant.

At inter ipsos rerum triumphos, res nova admodum exoritur, quae omnium spem intercepit.

Diuturno enim acerboque morbo afflictatus, lamentabili quidem casu, Carolus Andreas Ferrari, Cardinalis idemque Archiepiscopus Mediolanensis, flebilis omnibus, memorabilis constantiae exemplum nobis relinques, diem obiit supremum. Achilles Ratti, singulari consilio, lenitate, industria ita se Benedicto XV Pont. Max. probaverat, ut eum, in Italiam revocatum et Romana Purpura honestatum, in eius locum, nulla interposita mora, Archiepiscopum, plaudentibus omnibus, eligeret.

Verum Poloni, eo sunt mutuo moerore affecti, ut eum proficiscentem insignibus honoribus cumularint, et ipse sit professus nunquam antea meminisse, se tantum capere animo dolorem. Eam intersese amicitiam citius contraxerunt, ut nunquam tempore, loco, ac rerum vicissitudine sit dissociata.

Eadem enim semper mansit animorum et voluntatis consensio, quae, officiorum coniunctione, magis magisque confirmata est. Iuxta cum ipsis de rebus ad religionem spectantibus sentire summo opere nitebatur, ne improvisa Polonorum respublica recentiorum doctrinarum portentis illecta, ab optimis fidei praece-

ptis recederet. Quoniam Dei voluntate, ipse est ab eis ablatus - neque alia ratione dicere licet - suam ei benevolentiam testari, illius desiderium sic ferre, cognovisse voluerunt, ut nihil de humanissimo viro cogitarent, quin egregias eius virtutes meritis laudibus complectentur.

Quum tandem, Deo auctore, Pontifex Maximus renuntiatus est, et, sacrorum sollemnibus initiatus, Pontificatum suscepit, incredibili Christiani Nominis laetitia, et Polonia universis ordinibus adclamantibus iure meritoque eum restitutorem felicium saeculorum memore animo salutavit, et devota sanctitati maiestatique suum obsequium est adtestata.

Verum ipse Pontifex Maximus illos amat, et Polonis adsiduis precibus pacem et concordiam adprecatur. Et dum in eius subsidium dona donis cumulant, unum est omnium votum, una perpetua oratio, ut in Augusta Sede diu placideque intersit populo christiano. In eius enim incolumente securitas reipublicae continetur.

Haec erant prius dicenda quam in medias Polonorum res ingredenter; quod sequenti epistola faciam. Interim valete omnes.

IOAN.



IN ADVENTU

NOVI SIMULACRI MARIALIS
MUNIFICENTIA PII XI PONT. MAX.

DONO DATI

ET ROMA AB URBE
DEIPARAE VIRGINIS NATALI FESTO DIE REDEUNTE
SOLLEMNI POMPA
LAURETUM IN PICENO TRANSLATI.

Virginis ecce Dies Natalis Festa redivit,
Deiparae et plausu Nomen ubique sonat;
Ast urbes inter tu fortunatior omnes,
Laureti tellus, plaude, beare magis:

Quae namque exultans exceptit Virginis or-
[tum,

In te considit Nazarethana Domus,
Gentibus unde salus, totum celebrata per or-
[bem,

Cunctis et populis meta cupita piis;
Si merito invitant omnes Natalia Divae,
Te decet in primis cingere honore Diem.

Laetitia at culmen Summi a pietate Parentis,
Cum nova missa tibi sit Marialis Icon:
Omnino Ipsa refert priscam, quam flemus adu-

[stam,

Serto Ipsam cinxit Magnus amore Pater.
O pietatis honos! ... cui par affulserit unus,
Clarum alter posuit cum Pius¹ ille decus.
O sic, Diva Parens, diadema cincta trium-

[pha,

Ore beare tuos muneribusque veni.
Ut zephyri salices, ut prata virentia flores,
Ut pluviae segetes, ut iuvat umbra pecus,
Ut sol post hiemem rediens mortalibus aegris,

Sic Tu nos recrea, sic Tua Imago iuvet.
Tristia Lauretum per Te post fata resurgat,
Aura materna, Virgo, favente Tua;

Semper Picenum Tu, Diva Patrona, tuere,
Praesidium Italiae, Palladiumque mane;
Et pacis Regina Tua e nova Icone refulge
Prodigia instaurans, sidera amica movens.

Sed resonent plausus vobis, qui dona tulistis,
Ostrum quos ornat, gloria nostra decus;
In primisque tibi, Summi qui nomine Patris

Venisti,² ac Eius tam pia sensa refers;
Vobis et plausus, Pastores, qui Superum in-

[star

Purpureis estis celsa corona Viris.
Tuque, o Sancte Pater, festis in laudibus audi
Nomen ut exultat cuncta per ora tuum;

Audi Lauretum Te plausu extollere in astra,
Mittit dum grates et tua dona canit;
Divae audi natos Matri committere vota,

Audi quas fundunt corde calente preces:

¹ Pius VII, Pont. Max.

² Emus Card. Petrus Gasparri, Legatus a latere Summi Pontificis.

« Sis Magno Ipsa Pio fidissima Stella, Mariā,
Qui ducit Petri, dum furit unda, ratem;
• Tot mala, Virgo, vides, quibus discerpitur

[orbis,

Heu quale exitium deseruisse Deum! ...

« O cupiant gentes amissum quaerere Chri-
[stum,

Sola est qui mundo lux, via, vita, salus;

« Quique est fermentum pacis sub tegmine
[panis,

In Crucis et quem ara sponte litavit Amor.

« Numine, Virgo, Tuo in Christo da cuncta
[novari

Paciferi Patris voce docente Pii;

« Contendant Petri Rectores gentium in Ar-
[cem:

Haec nam pro diva pace tenenda via.

« Ramum agitare queat Summus sic Pastor
[olivae,

Laudes, Alma Parens, orbe canente Tuas! ... ».

Laureti in Piceno.

IOANNES FRATINI.



ANTIQUAE RES

De Romanorum Provinciis, Praefecturis, Municipiis, Coloniis.¹

Res Coloniarum publicae ita ordinari solebant, ut expressam quamdam Romanae reipublicae imaginem repraesentarent; ut propterea Gellius (XVI, 13) « maiestatis populi Romani effigies parvas et simulacula » Colonias appellaverit. Etenim, praeterquam quod fora, curiae, templa ad urbis principis formam fuisse in illarum oppidis constituta viderentur, tum vero, quod ad civilem rationem attinuit, nihil prope eae fuerunt Romae dissimiles Quid enim? Tum ipsis Romanis legibus ute-

bantur, tum suos et patres et magistratus haud multo secius, quam Romana civitas, habebant.

Erat igitur Coloniis supremum Patrum consilium; nisi quod hi - quamquam aliquando et ipsi Senatorum nomine donati occurrunt - plerumque *Decuriones* dicebantur. Quare Cicero,² quum de Coloniae deductione ageret, quam Rullus moliebatur, inquit: « Huc illi decemviri, quum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint », etc. Ubi hoc praeterea animadvertisendum est, non defuisse coloniis Augures, nec Pontifices; ita ut passim illic Romanae rei species sese proderet. Consulare munus gerebant in Coloniis *Duumviri*. Itaque his, praeter alia, iuris etiam dicundi, ut olim Romae consulibus, potestas,³ et insigne, aequa ac Romanorum Consulum toga praetexta;⁴ ministri vero Lictores duo cum bacillis. Quibus bacillis quum iam maius aliquid affectassent *Duumviri* Campani, ita in eos invectus est Cicero:⁵ « Anteibant lictores, non cum bacillis, sed, ut hīc praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus ». De Censoribus Coloniarum comperta quoque res est. Ita apud Livium⁶ devere Romae patres, « censem in iis coloniis agi ac formula ab Romanis censoribus data... deferrique Romam ab iuratis Censoribus coloniarum, priusquam magistratu abiorent ». Ex quo intelligimus, eodem, quo Romanos, colonicos Censores munere functos esse.

Iam porro habuisse quoque Colonias suos et Aediles et Quaestores, alteros viis,

¹ II Agr., 35.

² Ob hanc rem in monumentis designari soliti sunt II VIR. I. D. Eos autem e *Decurionum* ordine legi statutum erat.

³ Cfr. Liv., XXXIV, 7.

⁴ II Agr., 34.

⁵ XXIX, 15.

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Martii.

aedibus, annonae curandis attributos, alteros aerario praepositos, pro explorato habetur.

* *

Ut vero huiusmodi de Coloniis argumentum ex integro absolvamus, quaedam inter eas discrimina sunt expendenda.

Primum igitur e Coloniis aliae erant *civiles*, aliae *militares*. Haec autem dissimilitudo non in eo fuit, quod in has, non vero in illas, emeriti milites mitterentur; nam hoc quidem commune utriusque fuit; sed quod militares, secus ac civiles, vi et armis duderentur. Huiuscemodi Coloniarum ratio satis aperta⁷ proditur verbis Bruti milites alloquentis apud Appianum:⁸ « Vos pro rebus gestis adversus Gallos et Britannos, praemia, quae olim dabat populus, referetis; qui nec suis, nec innocentibus hominibus agros adimebat, neque illis aliena donabat, neque iniuria facienda gratiam referri oportere putabat... Sylla vero et Caesar, quod, patria armis occupati, custodibus et satellitibus adversus eam agerent... Italiae innoxiae, *lege belli*, agros, villas, sepultra et fana extorse- runt,... agros sociorum Latini nominis divisorunt et suos in eos frequentes *sub si gnis et ordinibus deduxerunt*.

Longe vero maius exstitit inter Colonias discrimen, quod ob diversa eorumdem iura, vel *Romanae*, vel *Latinae*, vel *Italicae* appellatae fuere.

Optima quidem omnium conditione erant Romanae; hae namque Romanam civitatem retinebant, ideoque huius generis Coloni non semel *Cives Romani* in priscis monumentis nuncupantur. Ita, apud Livium,⁹ postquam urbem Velitras e coloniis unam fuisse indicatum est, tum subditur, quid Patres « de Veliternis ci- vibus suis » ob eorumdem defectionem de-

creverint. Nec dispari ratione idem historicus sic narrat:¹⁰ « In Veliternos, veteres cives Romanos, quod toties rebellassent, graviter saevitum ».

Latinae vero, quippe quae in Latinorum statum redigerentur, civitatis omnino expertes fiebant. Declarat id Tullius,¹¹ quum inquit: « Certe quaeri hoc solere me non praterit... quemadmodum, si civitas adimi non possit, in Colonias Latinas saepe nostri cives profecti sint. Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent ». Qua de causa tales coloni medium capitum diminutionem patiebantur.¹² Verum ubi lege Iulia populis Latinis impedita civitas fuit, tum et Latinae coloniae ad civitatis iura admisae sunt.

Italicae demum coloniae Latinis dete- riores exstiterunt; siquidem ius Italicum, quo illae fruebantur, erat prae iure Latii abiectius. Atvero quum lex Iulia eadem totam denique Italiam civitate donavit, tunc et coloniae Italicae iura civium Romanorum adeptae sunt.

S. A.

¹ VII, 14.

² Pro A. Caec., XXXIII.

³ Triplex, pro diversa peremptorum iurium ratione, fuit [apud Romanos *Capitis deminutio*, quam *maximam*, *medium*, *minimam* iuris consultis placuit cognominare. Maxima *capitis deminutio* ex civitatis simul libertatisque amissione exstitit. Hanc subiabant tum *capti ab hostibus*, tum *incensi*, tum *servi poenae*. Medium civitatis tantummodo iactura inferebat; eam patiebantur *exsules ac deportati*; qui propterea in peregrinatatem decidebant. Minima denique ad eos pertinuit, qui familiam mutassent, ut in adoptione.

Insanire mihi videtur, qui sibi firmam, constan- tem veramque amicitiam cum eo fore persuasum habebit, qui fraternalm prodiderit.

PLUTARCH., De fratr. benev.

Philosophiae vacea poscenda; vivendum autem civiliter.

LACT., III.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Iacobus Tasset Andreae Haberl sacerdoti salutem dico.

Aeterna quaerentibus fugienda novitas. Tu quidem, vetere Daedali restituto curriculo, allatus per aëra, Turni venis in oppidum. Rogas revehendi tempora domum festinans viator, ita: *Divionem quo quotae?* Inspectis tandem notis 10, 13, si respondissem: *Quarto et decimo undecimae*, quid aut ambiguum fuisset, aut verbosum? Ast ego, horarum circum nunquam satis ante speculatus, per metas sexaginta sexagenorum passum descriptum; venturas praenuntiari nequaquam illas, sed exactas iamque defunctas digitis significari tinnituque, quia nesciebam, tunc notationem 10, 13 *decimo tertio decimae* perperam interpretatus, et ceteroqui veritus ne ieiunius quam pro dignitate tui ordinis et Gallici oppidi comitate dixisse viderer, quum viaticum ad penum statim, sermonis ornandi causa, verba deflexissem, te hora integra ante discessum, more rustico, in stationem admissum, et temporis eius solidi minutus ac minutarum partium sexagenas citas sociabilesque facientem, mentis tuae convivio, reliqui.

Cuius erroris mei veniam abs te petebam, brevitate mortalis aevi me excusans, quo pleraque ignorare coactus, ne Sinarum quidem calendarium, quum in Iaponia eram, potui investigare, quod aequa ac Romanum nostrum regni eius usurpant incalae. Valde enim quum antiqua est, tum elegans, illa nobilis a sapientibus, qui fuerunt ante diluvium, tradita Chaldaeis et Scythis, sexagenaria dierum et annorum comprehensio, quam signa temporum duodecim et elementorum quinque conversione quadam conficiunt; commodam rerum utique memoriae, ut scias, quo fluentis aevi punto, verbi causa: anno *tigris*

aquatica, dieque *sororis lignei*, Quintus (est enim iaponice *Goro*) sit natus, vicinae levir. Heu! ne mea quidem cuius sit animalis et elementi iunctura signata nativitas, quaerere mihi unquam vacavit. Nos doceant utinam illas disciplinas, Romanis hisce commentariis, Sinenses Societatis Iesu patres, qui suspiciunt, Zi-Xa-Ouei prope Shanghai, in caelum.

Placet *diga* vocabulum, quod Arcadius Avellanus invenit naviter sane linguarum profecto peritus magister, optime de litteris latinis in America et in Europa meritus, quem ego, viginti abhinc et aliquot annos, commentariis suis ac epistolis e Philadelphia sternentem vivis oratoriis vias, assidue prosecutus, laudo multum, et approbo. Sed *bombardam* video etiam, nomen a *bombo* et *ardore* scitisime ab Erasmo fabrefactum, etsi plurimum in linguis vulgaribus valuit, quoniam derivata sunt ab eo multa, a iudicibus tamen in glossarium deferri! Unde non habeo cur eruerem, in tanta supervacaneorum verborum redundantia, quum classicorum hereditates nemo valeat consequi. Nam plura sunt in ipsis quam quae memoria caperentur, et essent ad omnes animi sensus hisce temporibus, ut in ceteris, exprimendos, necessaria.

Dicam: «Lugdunum, quartae, tricesima septima», quia sic lex iubet similitudinis loqui. Nam roganti: «Quota feria, quotae post Pentecosten hebdomadis?» respondent, verbi causa: «Quinta, secundae». Quibus autem verbis sint horis minora dicenda tempora, doceant aevi mensores. His ego rebus imperitus nescio. Puri tamen sermonis amator, eloquentis ingenii nolim libertatem amplissimam, infantium nomenclatura cohiberi saeculorum. Sententias enim sapiens eloquitur, insans vocabula.

Postremo nonus iam prope est annus, ex quo Gallia quaternas et vicinas, a medio noctis punto, quod tempus est

nullum, sed nocturni diurnique temporis initium, continuatas enumerat horas. Sed plerisque gentium multo sunt magis binis locis perspicua duodena, quam acervis vicina quaterna singulis. Ergo confusa haec est repudianda ratio. Dilectionem probato tui humilis conservi, optimae fidei sacerdos.

Turnoduro, mense Iulio MCMXXII.

COMMUNIA VITAE

Vindemiae praeparatio.

October est mensis in ianua; quid si videamus quae ad vindemiam diligens paterfamilias comparavit?

Inter Septembres enim Idus et Kalendas Octobres ipse «cellam vinariam» perquisivit penitusque percensuit a caelo et parientibus ad solum, dum scopis omnia verruntur ab aranearum telis ad pulverem; praecipue «lacum», qui in medio pavimenti est, ut in illud seu «musta», seu vina confluant infortunio aliquo delabentia, purgatum nitidumque voluit praeceteris. Scrutatus inde fuit lucernis manibusque «trabes», quibus «ligneal dolia», vacua nunc, sunt imposita, ne, addito musti pondere, fraca decident. Si quae debiliiores visae ei sunt trabes, vel mutavit, vel supposito tigno aut saxo roboravit atque firmavit. Curavit insuper ne quid in cella esset quod male oleret, nihil uliginosum; delicatissima quippe res vinum est, et quasi puerili quadam natura praeditum, qua cereum habetur in omne cuiusvis proximi et socii vitium a mucore ad lignosum et siccum.

Haec ille quum fecisset et curasset, bene se fecisse et curasse autumare potuit. Sed praeterea, lucerna pariter adhibita, singula dolia intus et in cute lustra-

vit, verrit diligentissime intus et extra, ferreos viminaceosque excussit maileoque expertus est «circos», quibus «doliorum laminae» geminis obstringuntur «fundis» eosque «sulco» mordent.

Quorum doliorum seu vinariorum va- suum plura sunt nomina, partim iuxta formam, partim iuxta materiam quibus confecta sunt, partim iuxta amplitudinem. Quae maxima vini linea habentur vasa, «cupae» dicuntur; apud quosdam «ve- getes»; ea «litra» a quingentis ad mille circiter capiunt; quae minora mole sunt, «doliola», «bufones», «canthari» vocantur a triginta litris ad minus quingentis; «cupellae» quae inferiores. «Lagena» apud nonnullos cupella appellatur a tri- ginta ad sexaginta litra continens, quae rectius «cadus»; italice *barile*, quod no- men ex urbe Bario in Apulia factum vulgo putant.

Sedulus paterfamilias noster - qui late- ritia vasa, «amphoras», «urceos», «te- stes», «bithynios cados» (qui et adhuc vulgo *bettine*, *vettine* non abludente no- mine feruntur) non ut prisci ad vinum, sed ad olea asservanda adhibet - postquam omnia haec linea probe mundavit, cavens tamen ne a ligno cuparum interiore «tar- tarum» omnino abradatur, quod est quae- dam crusta, ex adipe et sanguine vini, ut ita dicamus, coalescens haerensque lapi- dea ligno, princeps et ipsa vini custos, «lignarium fabrum» adduxit, qui singula dolia, itemque «praelum» sive «torcu- lar» seu «torcularium», iuxta sue artis ritum, sedulo exploravit, et si qua infirma, firmavit, si qua lapsa, refecit.

Dein cupae interius exteriusque «pica- tae» sunt, glutine facto ex tartaro et calce, ne mustum ubi infusus fuerit, defluat.


Quibus peractis, quae reliqua ad vin- demiam sunt opus, apparavit, nempe «cor- bulas», «quala», «scirpos», «labra» de- tertiis, sartis; effecitque ut in promptu haberet «labrum ingens», purgatum pa-

riter mundumque ad optimum, quo si quid
adversi caderet, quae diffluere possent e
cupis e lacu ipso, huic pro tempore et ad
tempus quam celerrime credantur.

Recto igitur vineam pede petere ei li-
cabit, atque introire, Tibullianum illud in-
vocans:

*Bacche, veni, dulcisque tuis et cornibus uva
Pendeat!...*

P. D.



VINDEMIA.

Amico meo Mopso.

*Iam pater Autumnus prædulces ingerit uvas,
Grataque poma manu.*

*Fervet opus; plenis spumat vindemia labris,
Ambrosiusque liquor*

Expressus dimanat per sudantia præla.

Omnibus unus amor:

*Vasa alii accipiunt, carpunt aliique racemos
Vite sub arborea;*

*Adducunt alii currus, certant et obesos
Increpusse boves.*

*Hi radunt linrum summo de gurgite spu-
[mas;*

*Hi nova musta cadis
Certatum infundunt, perfusi munere bacchi
Lætitiaque fremunt.*

*Vinea sed mea vastata eheu grandine
[squalet,*

*Mopse, nec ante quidem
Fertilitate potens, acinum servavit edendum
Ipsa mihi misero!*

*At tibi succrevit fœtis de vitibus uva;
Pomaque villa tulit.*

*Ipse mero caream? profundam pocula lym-
[pha?*

*Parce mali immerito!
Si me fallit humus, Mopsus non fallat,*

*[et uvas
Mitte supervacuas.*

*Hoc alio nostræ vincire videbere nodo
Nomen amicitiae.*

Aquilæ.

ANGELUS NARDIS.

PRO IUNIORIBUS

De iis quae inter primum et se- cundum bellum Punicum gesta sunt.

a) Occupantur Sardinia et Corsica insulae.

Milites Carthaginiensium mercenarii, qui exhausto aerario nequicquam debitum exspectabant stipendium, per tres annos magnos ciere motus, quos Hamilcar, quem in omnes partes propagarentur, aegerrime reprimebat. Dum id bellum geritur in Africa, etiam ii mercenarii, qui Carthaginiensium in Sardinia erant, arma movere coeperunt, et quod irruentum montanorum non poterant sustinere impetum, ut quondam Mamertini, ab Romanis petiere auxilium. Hi autem seditiosorum petitioni turpiter obsecuti, anno ccxxxviii Carthaginiensium in insula oppida occupaverunt.

Et anno proximo, quem hi intestino bello composito Sardiniam repetissent, Romani indixere bellum; quod ut averterent Carthaginienses iam superioribus bellis attenuati, non modo cedunt Sardiniam, sed etiam mille ducenta talenta persolvunt. Sardinia autem cum Corsica, quae insula illi proxima nunquam in Carthaginiensium fuerat potestate, Romanorum provincia facta est. Utriusque autem insulae occupata sunt tantum littora; ad remotiores partes montibus refertas Romanorum nec dominatio pervenit nec cultus. Sed harum trium magnarum insularum occupatione Romani maris Tyrrheni dominationem adepti sunt.

b) De bello Illyrico quod annis CCXXIX et CCXXXVIII gestum est.


Postquam Graeci amiserunt rem nava-
lem in mari Adriatico ad Illyriae littora, quae referta sunt insulis, magnam prae-
dones obtinebant potentiam. Post multas

petitiones Graecorum et Italorum, Roma-
norum legati ab Illyricis flagitarunt, ut
vessationum finem facerent. Quod illi man-
datum ita non acceperunt, ut unum ex
legatis revertentibus interficerent. Tum
Romani, missa classe capiendas praedo-
num arcibus, Illyricis pacem et tranqui-
litatem imposuerunt. Graeci, qui praestan-
tissima maris Adriatici ad orientem versus
tenebant emporia, ut Apolloniam, ab Ro-
manis inter socios recepti sunt, ut etiam
in Haemo locum caperent.

c) Bellum geritur contra Boios.

In eum pagum, ubi anno CCLXXXII Se-
nones confecti sunt, C. Flaminio trib. pl.
auctore, magnus colonorum Romanorum
numerus deducti erant. Boii autem, qui
timebant ne etiam sui agri distribueren-
tur, et omnium fere Gallorum Cisalpino-
rum societatem foedusque faciebant, et
homines bellicos acciebant etiam ex
Gallia transalpina. Galli omnia populantes
vastantesque pervenient usque ad Clu-
sium, urbem Hetruria. Sed in reditu, in
Hetruria ora, non longe ab urbe Telamone,
pugna acerrima atque ancipiti ab
exercitibus consularibus superati sunt.
Quadraginta Celtarum millia ceciderunt.
Proximis annis tota fere Gallia Cisalpina
in Romanorum dicionem redacta est. Tum
via Flaminia munita est, Placentia et Cre-
mona coloniae conditae, quae agro com-
parato essent praesidio.

(Ad proximum numerum). A. HABERL.



ANNALES

Bellum Graecos inter atque Tur- cas.

Dum conventus ad pacem in orbe vere
restituendam alias alium sequitur, en ex
improviso novum oritur bellum. Memine-

rint omnes Turcas ad eas incitas ex variis
initis foederibus esse redctos, ut Constan-
tinopolim urbem viderent sub tutela victri-
cium nationum positam, Thraciamque ex
Mahumetanorum imperio avulsam Grae-
cisque datam, qui deinceps in minorem
Asiam, sive Anatoliam provinciam, missi
sunt, pariter sub tutelae specie, re autem
quam saltem Graeci effinxere, - ut eam
sub suam dictionem redigerent. Si huius-
modi vicibus Turcarum Sultanus, qui vulgo
nuncupatur, acquievit, hunc vero rerum
statum minime passi sunt cives multi, qui,
« nationalistarum » factione condita, Ango-
ram sese transtulerunt novumque sibi
gubernium composuerunt, cuius nomine
non semel apud foederatos legatos Con-
stantinopoli, uti diximus, in urbe residen-
tes, conculcata liberorum populorum iura
denunciarunt. Incassum tamen: non itaque
mirum si in vindictam aestuare coepérunt,
praepositoque sibi duce Kemal principe,
viro animi fortis et strenuo in bello,
Smirnae et Adrianopolis urbium liberta-
tem repetiverunt. Tum quidem Italorum
administer ut Venetas omnes convenient
suasit ad Orientis res demum compen-
das; cui quidem consiliis Kemalistae acces-
serunt. Verum, quem viderent eidem cete-
ras foederatas nationes vehementer obsi-
stere, nulla mora ulterius interposita,
Graecorum fines ad septem Menderes
oppidi triones praetergressi sunt suumque
exercitum ducentorum millium militum
tum per Afium-Kara-Kissar, tum ad meridi-
diem Akar fluminis ad Hassan usque
deduxerunt, aciesque in Nicomediae prov-
inciam admovere. Necopinato hoc negotio
Graeci deprehensi, per sexaginta passuum
millia quum retro cessissent, Ouchak in
urbe sese receperunt, quam vero hostis
obsidione cinxit, breve expugnavit una
cum aliis oppidis, inter quae Eschi-Sceir,
Kutahia, Rhodos. Graecorum arma hinc
bipartita sunt facileque fusa, altera ad
Chodlailly, altera ad Salihly, quae imo in
captivitatem redacta fuere. Expeditus ita-
que Kemalistis ad Smirnam accessus,
quam reapse in suam potestatem rede-
gerunt die decima superioris mensis

Septembri, immani caede, eaque quam vix in recentibus historiis requisiveris: dum enim Graeci, antequam desererent, eam igni tradunt, Turcae miseros cives, quibus fuga sese a fatali periculo eripere non datur, fera interneione opprimunt.

Anxii ex hisce omnium populorum animi: prope enim est neutra provincia, quam foederatorum statuum milites tenent; an Turcae eam quoque invadent? Et quid inde? In certamen ne Europaei exercitus iterum descendere coacti erunt? Avertat Deus!...

Redeunt igitur mentes ad conventum illum ab Italico legato iampridem propositum, et Kemal princeps interrogatur nonne et ipse ad idem consilium sit etiam nunc accessurus. Foederatorum enim propositum erit Turcarum optatis in eo facere satis de Thracia provincia, ad Maritza usque flumen et Adrianopolim urbem, recuperanda, itemque libertatem firmandi Dardanici freti, Propontidis et Bosphori Thracici, simulque iura minorum gentium ac religionum tutandi. Praeterea Turcici imperii admissioni favebitur ad Nationum societatem.

Pactio hisce fundamentis constituta, consociatorum populorum copiae Constantinopoli ex urbe removebuntur; Graeci intra certos fines, de quibus erit conveniendum, sese contrahent; Turcis danda fides, neutram illam et liberam regionem a Dardania ad Bosphorum sese minime occupatueros.

Dum scribimus Kemal illius responsum nondum pervenit; nunciatur interim Constantinus, Graecorum rex, in favorem Georgii filii maioris natu regnum abdicasse, idque proxime facturum quoque dictitant Turcarum Caesarem.

* *

Nationum societas.

Dum tristes eventus hi volvuntur, Nationum societas operi suo deservit. Atque primum Seipel, Austriacae reipublicae cancellarium, audit, qui res oeconomics civitatis sua itemque internas exponens,

opportuna auxilia sollicitat ne omnia illic pessum ruant. Deinde de armorum ubique minuendorum quaestione abstrusae difficultates tum materiales tum morales penetrantur. Res enim cum quaestione permutationum aeris alieni, similibusque oeconomicis argumentis intime coniungitur; itaque factum est ut nulla generalis sententia emitti posset, sed tantum foedus suaderetur, quod quam maxime idoneum foret ad communem defensionem statuendam. Votum simul est emissum, ut rationes expensarum quae de militaribus rebus essent, ubique imminuantur. De emigratione denique nonnullis principiis positis, quae ab omnibus servari debeant, in Nationum societatem Hungarica quoque res publica adscita est.

* *

Ex Sinis.

Novarum perturbationum nuncii ex Sini manarunt: civitatis scilicet praesidem magistratu abdicasse, iussu satrapis centralis provinciae, summum principatum appetentis. Hinc bellum civile exortum, quod per statum omnem late effundatur.

Idibus Octobribus MCMXXII.

POPULICOLA.

VARIA

Lepidissimus error.

Aegrotabat Vincentius, magnisque febris laborabat. Tunc refrigerium sibi iucundissimum reputavit, salutemque sibi divinitus praesensit in potionem ex herbis confecta, quae ex Anglorum eloquio *The vulgo* appellatur. Huius ergo potus cupiditate exardescens, puerum vocat eique praecipit ut bullientem ei deferat aquam, ut *The cupidissime* bibat. Haec autem verba *The* veluti mutata facie oculisque protulit, conversus ad puerum. Qui hisce verbis perterritus fugit et infinitas turbas excitans familiaibus trepidus narrat herum furere admon-

dum atque insanire, quod eum minitetur cum aqua bibere.

Omnis vero domi illi subridere, dubitare e contra puerum haud compotem mentis adesse, et rem taciti iterum iterumque considerare, dum ipse perstre pere pergit dicens: Ipse furenti animo atque e lectulo surgens, *The*, inquam, *The* cum fervescente aqua voluptuose bibam!

— Quam simplex es puer, dicunt familiares, quamque ingenuus! Non te, puer, sed herbam cum aqua ad bibendum te adducere iussit. Ista enim potio optima est et febricitantibus probatissima.... — Ast ego nesciebam, puer, eiulans dicit; ego ne me bibere vellet, pertimescebam.

Aegrotus ipse cum longae morae causam noscitavit, ultro subridens: — Quis eum, inquit, tam ignarum putaverit? Et istoc saeculo quod tot luminibus decoratum praedicant? — Hic ridiculus pueri error febricitantem excusit, et exinde meliusculum se habuit nec iam *the* aliud quaequivit.

SUBALPINUS.

* *

Describitur umbella.

Conventus Genuensis somnio vidi rogatorem atque praesidem, qui ad me conversus: « Age, triginta linguarum ac totius orbis interpres, describe, — iussit, — quod nunc manu versas, umbraculum ». Tunc ego prompte (nam forte fortuna totum cum turnodurensi pertractaveram umbellarum institore locum): « Est autem velum, in medio ansatum, ramis octo extensem modo, aut contractum et ansae applicatum. Rami vero de vertice emissae, sicut e modiolo rotae radii, sunt virgæ, assutæ velo, quas expandunt aut contrahunt mobiles annulo per ansam ambulatili, furclæ. Annulus autem duobus ad ansam, conversis in contrarium, ne defluat, infibulatur angulis pressu resilientibus: quo modo, aut pansum ab intentione, aut a contractione non desistat plicatum umbraculum.

Manubrium autem ansae sive capulus est rectus aut, qui sub gerentis cubito su-

spendatur, curvus. Vis imperare: umbellam explicat, pande, tende; nunc comprime, complica. — Utrius generis: in pluviam an in solem, tibi opus est umbraculo? — Cedo casum in utrumque.

Et auctorem vis, praeses clarissime, referi:

Ipse tene distenta suis umbracula virgis.

Sic noster Ovidius. Sed ego tunc somnum solitus, hac interpretatione probe fatigatus.

I. TASSET.

* *

Locosa

Tuccius, facto iterum in schola periculo, tamquam bardus ad studiorum annum cursum iterandum damnatur. Dum moestus domum petit paternas poenas praesentiens, in virum ferram acuentem inedit, ab eoque querit:

— Heus tu! Valeasne meum cerebrum etiam acuere, quod magister rotundum nimis edixit?

Idem sibi:

— Invenerunt rationem nunciorum per telegraphum sine filis transmittendorum, tormenta displodiendi sine fumo, vehendi sine equis; curnam nemo dat operam ut sine schola ediscere possimus?

* *

Aenigmata

I. (vulgo *Rebus*)

LEVA

O pem O

II.

Artibus exiguis voces mihi quattuor adsunt; His dispar sensus, consona si variet.

Undas dat *primum*; super undas *altera* transit; *Tertius* heu! ne sis. *Quartus* *apricus* apex.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I (vulgo *Rebus*) *In via sub ruit in vi dum = Invidia subruit invidum*; II *Alpes, Pes, Apes, Ales*.

LEO IV

16

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

SCENA X.

PUBLIUS et CONSTANS.

PUBLIUS (*rediens agitatus quam maxime*):Moraris h̄ic adhuc? Nunc agendum
[viribus.Enim stant hostes, irruunt in moenia ...
Necandis voces hominum, non proe-[l]ium?¹CONST. I tu p̄ae, nam lubens ilico te sub-
[sequar.Ibo, et videbis Afri quid possint dolis.
Eamus! Vultum simulamus placidum,
Et inter illos qui circum pugnant eum,
Emittam telum funebre securius!Ita admodum ... Movebo sic obstacu-
[lum,Quod omnes solum stat adversus Afri-
[cos.Sic ibimus recto ad gloriam tramite.²

EXPLICIT ACTUS SECUNDUS.

ACTUS III.

SCENA I.

MILITES *hac illac transeuntes*:MIL. I. Qui gentium motus, strepitus, con-
[fusio!

Adest et ipse stupefactus Pontifex.

MIL. II. Quod est cor illi, pectoris quae fir-
[mitas!Erant sic olim milites et consules,
Cum Roma cunctos territaret populos.¹ Transit et fugit.² Exit.

Novum quod vidi militum prodigium!
Pugnant securi in moeniis liberius,
Sternunt, percutiunt, confodiunt, ene-
[cant;
Struemque flumen vides magnam cor-
[porum,
Et arma, et clypeos circumferre ad
[mare.

MIL. III. Gessit quam Pontifex se noster op-
[time,

Novos in hostes malos et innumeros.
Eos insolenter et acriter supprimet.

MIL. I. Fuisset ipsis urbs devicta denuo,
Suum ni venisset praesens auxilium.

MIL. II. Aetas nec ulla praelianti defuit.

Adsunt puelli, qui timore patriae,
Modo relictis alacres gymnasiis,
Ad bellum currunt, animose dimicant,
Suis et ambunt armis Pontificem.

MIL. III. Erat superba, mollis in deliciis,
Mox Roma nostra; Pontifex sed adstitit,
Licet nutritus mansuetis litteris,
Et sacris, redditus totus militiae,
Legit cohortes, et compescit, tempe-

[rat,
Ut omnes praedicent brevi post tem-
[pore,
Ab ipso milites excitasse pulvere.¹

(Ad proximum numerum).

¹ Exeunt.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VE